

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 113

(C.) I NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS, HEINRICUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA REX. | Sublimitas regalis prudentiae Deo servientium paci ac quieti omnimodis debet prospicere. Unde comperiat omnium fidelium nostrorum tam futurorum quam presentium industria, quod monasterii Stabulai sub nostra | ditione siti providentes utilitati, id obtinente apud nostram celsitudinem abbatis ejusdem loci scilicet THEODERICI reverentia, petente eodem abbatе, juxta antiquorum regum Sigberti , HILDERICI , CLODOUEI , DAGABERTI , qui constructores fuerunt prefati loci, nec non et imperatorum KAROLI, LUDOUVICI, OTTONUM trium, HEINRICI, sed et serenissimae memoriae CHOUNRADI imperatoris | avi nostri, nec non genitoris nostri piae memoriae HEINRICI imperatoris augusti sanctita, appendentium vel traditarum rerum illi ecclesiae a tempore sancti REMAGLI per succendentia | tempora ratam preceptionem firmavimus regali auctoritate nostra. Est igitur nostra dignatione sanctitum, ut quicquid predecessorum suorum temporibus illi loco fuit traditum aut condonatum, | seu quod predecessori suo abbati videlicet POPPONI imperator HEINRICUS oh suae animae mercedem de Hasbanio reddidit beneficium, sive quod a divae memoriae avo nostro ipsi fuit | restitutum a comite HERIMANNO exherede mortuo per aliquanta tempora injuste detentum, SCALETIN videlicet et Palisiol cum omnibus appendiciis suis, et quicquid ad ipsum locum | emit, sextam scilicet de Amblaua et Tumbis, a comite GOTEFRIDO de EINGEIS vel quod de bono ecclesie concambiavit VUENDENGAIS et CORVVOROIMON abbatis Sancti MAXIMINI data villa | ASTEBRONNA loco concambii sine aliqua infractura maneat inconvulsum. Quoniam vero predecessores nostri reges vel imperatores suae auctoritatis firmiter ipsi loco sanctiverunt, ut | advocatus ejusdem ecclesiae in curtibus ad locum respicientibus non presumat mansuras aut paraturas facere, redibitiones vel freda exigere, aut placitum tenere aut parafredos sumere sibi | sine permisso abbatis vel voluntate, eadem et nos ipsi abbati firmando corroboramus, bannique nostri impositione ne deinceps quisquam haec audeat infringere vigoramus et quicquid sane | acquisivit aut acquisitum repperit in quibuslibet rebus ecclesiae, roboratur nostrae auctoritatis rata preceptione, habens emunitatem ab omni advocatorum infestatione. Et quoniam monachis alterius cenobii, | id est MALMUNDARII, sanctita antiquorum regum vel imperatorum non suffecerunt, quod a temporibus sancti REMAGLI adhuc manet | inconvulsum; propter haec, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controversia fiat, quod evenisse temporibus domni imperatoris OTTONIS secundi constat, statuimus secundum edictum nostrum, ut | sub unius abbatis regimine, sicut jugiter permansit, utrumque sit subjectum cenobium. Et ut haec nostrae concessionis ac confirmationis de omnibus his plenior habeatur auctoritas, manu propia hoc preceptum | subter firmavimus, sigillique nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni Heinrici (L. M.) quarti regis.

Sigehardus cancellarius vice Sigefridi archicancellari recognovi (L. S.).

Data anno dominicae incarnationis MLXV, indictione III, anno autem ordinationis HEINRICI quarti regis XII, regni vero VIII. Actum Treveris in Die nomine feliciter.
Amen.